A. Z! 10 yc 84 f. 23

QUIRINI KUHL-

MANNI

Testimonia Humana.

LONDINI

Imprimuntur à *Johanne Gain* pro Authore, et prostant apud *Gulielmum Cooper*, Bibliopolam, at the *Pelican* in *Little-Britain*, 1683.



MVSEVM
BRITAN
NICVM

9 9 d

INDEX.

Johannes *Acoluthus*. I. 4.
Johannes Volck-*Bechmannus*. I. 5.
Sigiſmundus à *Birken*. I. 11. II. 13.
Johannes *Burg*. II. 12.
Henricus *Cordes*. I. 8. II. 9.
Wilhelmus *Cronpuſh*. II. 15.
Chriſtianus Fridericus *Cunowius*. II. 16.
Johannes *Fiſcherus*. I. 10.
Ahaſuerus *Fritſchius*. I. 9. II. 1.
Johannes *Gebhardus*. II. 5.
Johannes Chriſtianus *Hallmannus*. II. 17.
Martinus *Hankius*. II. 7.
Chriſtianus Hofmannus ab *Hofmanswaldau*. I. 14.
Athanaſius *Kircherus*. I. 13.
Conradus von der *Lage*. II. 2.
Godofredus *Lehmannus*. II. 16.
Johannes Godofredus *Metius*. I. 1. II. 8.
Abrahamus *Plagge*. I. 7. II. 10.
Chriſtophorum *Pomarius*. I. 2. II. 6.
Samuel *Pomarius*. I. 3.
Georgius à *Schæbel*. I. 12.
Samuel Gottlib *Scultetus*. I. 15.
Sebaſtianus *Seyfrid*. II. 11.
Elias *Tomæ*. I. 6. II. 4.
Erhardus *Weigelius*. II. 3.
Georgius *Weinde*. II. 14.

Teſtimoniorum

Sive

Teſtimonia Epiſtolica, publica ac privata, de Pueritiâ Adoleſcentiâque Kuhlmanni; Ellogiis, Acclamationibus & Judiciis Illuſtrium, Excellentium Clariſſimorumque Hominum pleniſſima, ſuperbiſſima.

I. Johannes Godofredus Metius

Epiſtolâ Breſlæ d. 30 Julii 1664 *ſcriptâ ad Kuhlmannum tredecennem.*

De meo, Adoleſcentule peramantiſſime, erga Te ſingulari amore præſtat tacere, quam infra magnitudinem illius aliquid dicere. Profectò animus meus indies accenditur, cum conſidero, Te exſplendeſcere velle; nec animo æquo Condiſcipulos tuos diligentiam et Virtutem Tuam ferre poſſe. Macte Maſculâ illâ Virtute et ἐκ πολλῆς σπουδῆς annitere, eminere inter cæteros Coætaneos, merces tuta Virtuti tuæ eſt parata. Fatendum eſt, Te paululum Viam Virtutis ingreſſum eſſe. Sed quid momentanea illa mora? Non cœpiſſe, ſed perfeciſſe, non incipere, ſed gnaviter pertendere virtutis eſt. Perſeveranti opus eſt animo: cogita, ad hoc unum; atque ad nihil aliud Te venîſſe in hanc terrenam habitationem, et hoc a Te unum exigi, ut Virtutum gradibus cœlum petas. In tribuendis animi donis Naturam Fautricem habuiſti, et talentum concreditum ſine ſummâ ignominiæ notâ non abjicies. Si corpus negligis, fragile caducumque domicilium; Si animum vere Te negligis. Hoc ne facias præſentibus litteris Te exſtimulo, qui ſtudia Tua ſummopere *promota cupio*; Tu ſaluberrima mea conſilia *amplectere & Stilo*, hoc eſt, Latinitati operam indefeſſam navans, commercium Epiſtolare, Tecum eo fine inſtitutum, arripe quam gratiſſimum.

Epiſtolâ Breſla die 12 Auguſti 1664, ad Kuhlmannum tredecennem.

Sit Tibi prona Salus! Tu ſurcule Palladis almæ;
Arrideat Fortuna magis; faveat Thymbræus Apollo
Ingeniumque Tuum fœcundet meſſe beatâ.
Attigit illa meam *non ſegnis Epiſtola* dextram,
Quæ celebras Sophiam, & claræ Virtutis Opima
Præmia; nec falſo. Nam tendit ad ardua doctus
Repit humi Vulguſque ſibi conſulere neſcit.
Eſt Janus biſrons Doctus, præſentia ſpectat,
Quæque futura videt, ceu fluctibus obvia rupes
Stat Sophus ad clades ingentes Sortis iniquæ.
Pectora nam duris opponit maſcula rebus
Hujus divitias, quas doctâ mente reponit,
Non tangunt flammæ, nec ſævi Militis ardor.
Illum cumque rapit trucis inclementia Mortis
Nomen inextinctum remanet per ſera Nepotum
Secula; viventum ſemper Cynoſura perennis.
Aſt datur haud ulli, blandæ qui Myſta Vacunæ
Tam ſublimis Honos; ſtudiique labore parandus.
Ergo Bonis animi creſcas, nec deſere cœpta
Spe pretii fretus, proculca obſtacula quævis:
Cultorem Virtus condignâ laude coronat;
Non deeruntque Tuis Studiis præclara Brabæa:
Sic reor, & voveo, conſentiat altus Jova.

Epiſt. Francofurti ad Viadrum die 28 Feb. 1666 datâ ad Kuhlmannum quindecennem.

Florentiſſime Juvenis, Vaſa nos eſſe lutea, fictilia, fragilia, quæ quovis morborum attactu deſtruuntur, et affliguntur, quamvis ſim ſatis guarus, experimento tamen tuo affatim deprehendo. *Lecto enim affixus agrotanti* ——— Quod pertinaciter ſtudes, et ſpreto inerte otio, hoc unum jugiter agis, ut quotidie te meliorem facias, et probo et gaudeo. Perge eo, quo cœpiſti pede, bonæ mentis ſtadium percurrere; ad quod etiam frigidam Tibi ſuffundet Encomiis nempe ſuis, queſs Te condecorat, vir non proletariæ

Eru-

Eruditionis, M. Pomarius. Licet varia ſe offerant obſtacula, illa tamen fortiter perrumpe, *Barclaii* illud *Arg. l.* 5. conſiderans: *Maximum hoc Virtutis eſt Præmium; quod ſuos latere non ſinat.*

Litteris Francofurti ad Viadrum die 28 Aug. 1666, ad Quindecennem.

Politiſſime et Florentiſſime Juvenis, Video Tibi ſeriò perſuaſum eſſe illud Cambro-Britanni Poetæ Oweni elegantiſſimum Epigramma:

Fœmina Fortunæ ſimilis formoſa videtur:
Non amat Ignavos illa, nec illa Virós:

Myſta enim Vacunæ et Murciæ nequaquam exiſtere geſtis, ſed ſtrenue in cæptis ſtudiis pergis, memor Fortunam aliquando præmia pro tam aſſiduo labore Tibi porrecturam. Id quod ex Oratione Tua ſuper Exceſſum Divi Auguſti glorioſiſſimi Imperatoris habitâ liquet, quam ſcite pro Ingenii viribus elaboratam, non poſſum non conſignis mactare laudibus. Faxit Trinum Numen, ut ſtudia Tua cedant Tibi in ornamentum Familiæque Tuæ ſolatium exoptatiſſimum! Internâ et ſolidâ Voluptate perfruor, dum Te in multijugâ Autorum lectione adverto: nec fruſtranea illa fore, indubitatâ nitor Fiduciâ. Cogito enim verba Cedro digna Clariſſimi Caſp. *Barlæi* Prof. Philoſ. Practic. et Oratoris Celeberrimi in Gymnaſio Amſtelodamenſium, dicentis, "Nihil tam arduum, quo non "penetret et fervida Vis animi, quiſque dies opus ſu-"um probat. Proficimus indies taciris incrementis, ut "Herbæ et Virgulta. Mox profeciſſe nos ſentimus, et "cum Sole eſſe progreſſos progreſſus noſtros. Adſit "tenor et Conſtantia; et ſi a Sapientiæ omnis Autore "Deo, Ingenio Vim, moribus et affectibus moderatio-"nem petet diſcens, rem factam habebit. Aſſiduum autem Studium tuum, hoc eſt conſtantiam, flagrantiorem Animi vim percipio; ſerias ad Deum O.M. Preces Te effundere nullus dubito, ideoque Deum ditiſſimum Brabeutam dignis brabeis aliquando eſſe recompenſurum, certiſſime ſpero. Vale.

Epiſtolâ, Francofurti ad Viadrum die 30 *oct. St. V.* 1666 *ſcriptâ ad quindecennem.* Florentiſſime Eruditione & Moribus Politiſſime Kuhlmanne, Has ipſas Litteras Tuæ gratiſſimæ iterum elicuere, quas flagrantiſſimus affectus & niveus mentis meæ Candor promunt. Te Æſculapio Gallum et Hygeæ opimam victimam pro recuperatâ Sanitate debere, *ægrè percepi*, utque impoſterum Te Soſpitator Summus ſoſpitet, animitus precor. Cæterum ferventiſſimam Tuam Cupiditatem diſcendi ex omnibus perſpicio Litteris, dum ſemper tendis ad altiora. Laudo conatum: Maximum enim eſt argumentum animi ab altiori venientis ſede, ſi hæc, in quibus verſatur, humilia judicat et anguſta, ſi exire non metuit. Verum Cupiditas et Ardor, quo es incenſus, dirigendus eſt, ne ipſe ſe impediat. Non paſſim carpenda ſunt, nec avidè invadenda univerſa; per partes tandem pervenies ad totum. Non quantum vis, ſed quantum capis, hauriendum Tibi; bonum tantum habe animum, capies, quantum voles. Lentis greſſibus ad Cacumen Eruditionis pervenimus; nam et Arbor,

Tarda venit ſeris factura Nepotibus Umbram.

Epiſt. Francof. die 13 *Februar. St. V.* 1667 *ſcriptâ ad Kuhlm. Sedecennem.* Eruditione modeſtiſque moribus condecoratiſſime Domine Quirine Kuhlmanne, En Tibi Reſponſorias meas, quas citius forſan deſideraſti. Mirum in modum animum meum oblectârunt ea, quæ ex Tuis poſtremis percepi, et quæ primo loco ponenda, *multijuga et indefeſſa boni commatis Auctorum lectio.* Belgarum Socratis noſtrique ſeculi Thaletis LIPSII Epiſtolas legis, et attentâ mente illarum præcipuas notas —— Ceterum *Vitæ hoc ſalum* (ut cum Lipſio tuo dicam) jam ſeriò ingredi incipis, ætas tua hactenus circa littus luſit, propone Tibi multa falſa et amara adhuc eventura, ſed quæ tamen voluptate & amænitate ſummus Mundi Curio, ceu γλυκιπικρὸν aliquod temperare ſolet: utraque modeſtè Tibi ſunt perferenda, amæna et ſuavia cum metu aliquo; acerba cum ſpe; quia utraque incerta et vicibus ſuis mutantur. Sedula

tantummodo

tantummodo in Contubernio Sapientiæ Te præſta, ut ſolidam Eruditionem et Virtutem conſequaris, totus Deo fretus, licet jam in occulto lateas, poterit tandem ſubſequa Te Virtus ad Culmina Honorum evehere. Nam teſte *Senecâ*, nulla Virtus latet et latuiſſe non ipſius damnum eſt : Venit dies, qui conditam et quorundam malignitate compreſſam tandem publicet.

Epiſtolâ Francof. die 7 Febr. St. Vet. Ann. 1667 datâ ad Kuhlm. Sedecennem. Epiſtolam Tuam, quæ fragrantiſſimum Lipſianæ Eloquentiæ thymum ſpirabat, legi, illamque gratam habeo. Allubeſcit feſtiviſſimi Poetæ Taubmanni Judicium de Lipſio, quod promis. Inſuper laudo ſolamina tua, queîs animum inter malevolorum inſultûs ad altiora erigis : Obdura modo et deſidèrii Tui radices in doctrinæ modeſtiæque fundo firma : Linguæ malevolæ flabra Te flectere poterunt, non frangere. Arbores fæcundari ajunt aurâ, quæ novo vere ſpirat : Sic rectam bonæ mentis indolem Obtrectationes præparant ad verum Gloriæ fructum, quem ſubſecuturis annis uberem et maturum animitùs *Tibi precor.*

Epiſtolâ Sagani die 4 Febr. 1668. ſcriptâ ad Kuhlmannum Septendecennem. Florentiſſime, Politiſſime atque Eruditiſſime Domine Quirine Kuhlmanne, O gratam Epiſtolam tuam, et ſuaviter et amanter ad me ſcriptam, in quâ denuo Te video ! Te tuamque Eruditionem, quâ non minus crucior quam recreor. Recreor, quod pulcerrimo Eruditionis ornamento uteris, quod Litteræ tuæ ferme exaſciatæ produnt. Faceſſat jam, qui antea luxuriem ſtili tui perſtinxit : nunc enim ad laudatam illam ſtili temperiem pervenis. Et hoc ipſum quondam intendebam informationi tuæ præpoſitus, memor illius Polyhiſtoris, omniſque Antiquitatis Ruſpatoris, JUSTI LIPSII juſtum Judicium, dicentis: *Non facile ad laudatam illam ſtili temperiem pervenitur, niſi initiò vbertas quædam et luxuries ſit, quam ætas paulatim depaſcat.* CRUCIOR, dum Patronus Maximus et Stylobata Studiorum Tuorum, Dominus GODOFRE-

DUS LEHMANNUS fato nimis propero cadit. Interim

Fide Deo, bene ſpera, inter tot triſtia ſæpe
Spes pia, ſpem contra ſpe potiora tulit.

Carmen Epicum, qua ipſius Virtutes meritiſſimo celebras, maxime arridet, et niſi egregias animi Tui dotes perſpectas cognitaſque haberem, floridum et fluens Eloquium reconditaque doctrina, quam in illo perſentiſco, vix fidem tribuerent aſſertioni, in tuo natum eſſe cerebro. Summâ idcirco ope et alacri Studio admonitiones meas accipito, et temetipſum ſic eruditum oſtende, ut Spes Te pulcerrima foveat, toto curſu ſtudiorum peracto, poſſe etiam Rempublicam in parte ejus credenda gubernari, quod Imperator monet ſub finem Proœmii Inſtitutionum. Tetraſticha, quæ promittis litterario Orbi typis excuſa, communica, quo tua indies pateat Indu ſtria.

Epiſtolâ Teutonicâ Gorlicii, die 30 *Julii* 1670 *data ad Kuhlm. Nevendecennem.* Deſſen *wohlgerathene teutſche Palmen*, wi auch andere ſeine zugeſandte Gemütts-und Sinnenfrüchte, ſind wegen ihrer vilfaltigangefülten Gelahrikeit allen hohen Geiſtern verhoffentlich belibt und können nimanden, als der Misgunſt, misfallen. Tuæ ad votum factæ *Teutonicæ Palmæ* (Poema mille verſuum de Palmifero Teutonum ordine) aliique ſimul ad me miſſi Animi Ingeniique fructûs, propter ſuam multiplicem variamque Eruditionem omnibus altis Spiritibus extra dubium gratiſſimi ſunt, neminique niſi Invidiæ diſplicere queunt.

Epiſtolâ Gorlicii, die 21 *Nov.* 1671, *datâ ad Kuhlmannum Vicennem Jehnæ ſtudentem.* Nobilis, Eximie ac litteratiſſime Domine, Amice oculatiſſime; ..... Famam; quam affectas Carminum Tuo epidigmatico fætu ſub prælo ſudante (quem ocyus citius videre haveo) ut conſequaris gratulor, idque mihi quaſi dextra promittit Poeſis, quippe quæ Te ad eam natum prædicat. Macte porro generoſo illo Spiritu, Invidiam Virtute vince, ſic tandem in choro Doctorum, tantum Caput lætus exeres,

Qua

Quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

De cætero ter et ampliùs felix es, qui ſagax jam perſpicis commune illud multis Academiis vitium, dum nonnulli Anteceſſores Jurium præ nimiâ ſpeculatione quaſi delirant, ſectando terminos Juris, ruſpando verba L L. *l. 117 ff. de L L.* formando definitiones, cum tamen ſatis gnari ſint, quod ſcire L L. non ſit verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem, quodque omnis definitio in Jure Civili periculoſa ſit: parum enim eſt, ut non ſubverti poſſit. *l. 202 ff. de R. J.* Duarenus, famigeratiſſimus ICtus Biturigis in Gallià, de ſeipſo conqueritur, in definitione JUDICII explicandâ cum aliquot diviſiunculis, integrum ſe annum conſumſiſſe, & demum compulſum fuiſſe deſiſtere, et ſuſceptas (Julice Excellentiſſimo *Nergero* Prof. Jur. Witebergenſi) Stultitiæ deſerere vices. Apage aſſanias iſtas! Turpe eſt Doctori difficiles habere nugas, et Stultus labor eſt ineptiarum, teſte Catullo. Oli Ego hos Homines ignavâ operâ, Philoſophâ Sententiâ, memor cum Senecâ, nos non Scholæ, ſed vitæ diſcere debere. Qui talibus ludibriis mentis ineſcantur, Scholis diſcunt, non vitæ, ſimiles ſunt illis, qui cum loculos diſerſerint pecuniis, tamen ἀχρήματοι in Vitâ communi eſſe videntur. Noſtra tempeſtate requiritur non in cortice verborum, ſed in cute Juris Prudens. Huc Tu (quantum ex litteris tuis perſpicere licet) collimas, abnuens vagari extra oleas, ſed tramite recto tendens ad veram Juriſprudentiam, hoc eſt, Juſti & Injuſti, Scientiam ſemotâ nimiâ ſpeculatione apicum Juris. Chriſti itaque auſpicio, *l. 2. princip. C. de Offic. Præf. Præt.* quo recte ſemper ad omnes actus progredimur, capeſſe callem, ſummâ ope ac alacri (ceu aſſoles) Studio, et tandem te eruditum ſic oſtende, ut, ſi Deo volente Respublica in parte aliquâ Tibi concredatur, gubernes ſcienter. *Mitram quoque Doctoralem*, cujus ſulgor ex longinquo nunc te perſtringit, toto legitimo

opere perfecto Tibi apprecor; quà etiam dignum Te *facile* reddet *rapaciſſimum tuum ingenium,* et labor aſſiduus favente Hygæa. Honoris enim augmentum non ambitione, ſed labore ad unumquemque devenire convenit.

l. 14 in fin. C. de Re militar.

II. M. Chriſtophorus Pomarius

Gymnaſii Magdalenæi, quod Breſlæ eſt, Conrector & Profeſſor Publicus

Ab Anno 1665, *publica ac privata Teſtimonia tanta de Puericiâ meâ dedit, ut Condiſcipuli ſplendores tot radiorum tolerare neſcirent, aliis in Patriâ jam notiora quam mihi. Ad ipſum etiam pertinet, quod in capite tertio Prodromi de Majo* 1669 *exſtat his Verbis:* Alii deplorabant, præcocibus ingeniis tam ſubitam mortem inſidiari, ut publicâ cathedrâ Profeſſor haud incelebris meique amantiſſimus luctum ſuum fuerit teſtatus, falſo nuntio me mortuum credens.

Litteris die 11 *Aprilis* 1671 *datis Jenam ad Kuhlmannum.* Macte tuâ virtute, Amiciſſime mi Kuhlmanne, atque indolis, doctrinæ et virtutis raræ documenta in publicum Uſumfructum, expectationemque & decus noſtrum feliciter publicare perge.

Sint Mecenates, non deerunt, Breſla, Marones.

Cum igitur juxta Julianum Imperatorem Tria ad doctrinam et Sapientiam imbibendam requirantur, Abundans Otium, Ingenium Capax, et ardor diſcendi; & Tibi poſteriora duo omnium judicio affatim aſſint, Tertium, nempe, Otium ſufficiens ac liberale, Tibi Auditori olim meo Probo, Modeſto, Induſtrioſo, Deo Duce & Comite Fortunâ, Patronorum operâ liberali continget. Muſagetas enim et Evergetas, quibus jam jam Te gaudere ominor, imo et gratulor, domi foriſque Ingenii vim concitati cumprimis ac nobiliter ſe-

ſeduli, ex tot hujuſdem ſœtibus annos anteverſentibus admiraturos, Tibique benignos fore nihil dubito. Bene vale, Dulciſſimum Caput, & quod facis, mihi favere perge.

Ep. die 19 *Apr.* 1672. *vratiſl. ſcriptâ ad Kuhlmannum.* Gratulor de tot Ingenii feliciſſimi ac ſempiterni ſœtibus. Uſque enim adeo in opuſculis tuis (vel ipſo Livore judice) cum rerum ſingularium pondere exquiſitus verborum certat nitor et raritas. Mirabitur, μετεμψύχωσιν (credo) novam Poſteritas, renato nunc quaſi *Barthio*, *Taubmanno*, *Opitio*, tot Eruditionis Phœnices ac Atlantes, imo Monſtra in uno Te Monſtro intuita. Ignoſce, Nobiliſſime Kuhlmanne, quod, qui ſive jamjam ſis, ſive brevi futurus ſis, non ex amore, ſed ex merito liberè pronunciam, qui auribus temere quid dare non amo: Rumpantur ut Ilia Codro. Gratulor de celebrato natali XXI. Feliciter! Annos tibi de Cœli Deus augeat annis ..... Gaudeo de affectu, cujus etiam in Mnemoſynes templo, publicatis aureæ doctrinæ et virtutis tuæ nunquam intermorituræ monumentis, liſque ære perennioribus expreſſiſſima adeo τεκμήρια exſtare voluiſti. Næ qui gratæ mentis retentiſſimi vivant diſcipuli, vix totidem reperias, quot divitis oſtia Nili. Sed heus tu! Exquando tandem publicabis admirandiſſimam pariter et fructuoſiſſimam pro facilitate docendi et proficiendi Rotam, cujus adhuc lineas perpaucas duxiſti? An neſcis, omne bonum eſſe diffuſivum, ut ajunt, ſui? Urſas linguâ fœtus ſuos quaſi oſſas incoatas conformare, falſum eſſe ex Julio didiciſti *Scaligero*. Tu vero Urſæ in morem fœtum jam ſatis, opinor, formatum, lambas et parias? Sed ut vel bis nonum prematur in annum, auctor ſuaſorque ipſe eſſem, et quamvis interea temporis plus ptiſque lambere particulam pergas, niſi ſi, ne exceſſum forte præveniare inſperatò (valetudinis enim robore parum propitiæ uteris) irrecuparabili cum Eximii publici jacturâ ſubvererer. Utinam falsò! Mors, noſti, ingenuis eſt invida ſemper præcocibus. Unde ſenilis iſtiuſmodi prudentia præmaturæ mortis ſignum cordate Plinio

cen

censetur. Quanquam tua et post cineres virescet virtus, serius otius, ad plures abituri. Æterni Numinis Pietas indulgeat Tibi ὑγίειαν & πολυχρόνιον, πολυχρόνιον.

III. Samuel Pomarius,

SS. Theologiæ Doctor, et P. P. Illustris Collegii Statuum Epperiensis in superiori Hungariâ Moderator et Director Supremus, hodie Superintendens Lubecensis,

* *Literis die* 30 *Januar.* 1669 *Epperiessini Vratislaviam datis ad M. Christophor. Pomarium, Fratrem suum Germanum.* QUIRINUM KUHLMANNUM è transmissis Epitaphiis, ob Ingenium, Industriam et multam Classicorum Auctorum, et Philologorum lectionem laudo: ut impositerum Patronorum alis sublevatus Sublimi feriat sidera vertice, Et in Patriæ inclytæ Famam ac Usum diurnet Feliciter ex animo opto.

Epistolâ Epperiessini die 31 *Januar.* 1671 *scripta Jenam ad Amicum.* Politissimo Domino Quirino Kuhlmanno Wratislaviensi, Jurium apud vos Lytæ, salutem adscribo amicam, et pro Hodæporico Schœbeliano mihi transcripto gratias insignes habeo. Et hoc et alia Uratislaviæ pridem à CL. Fratre meo ad me destinata ejusdem Poetica Specimina, altum et animosum Spiritum præseferunt, puritatem et Majestatem Linguæ Germanicæ nitidè exprimunt, Classicorum Auctorum Latinorum vestigia frequenter ostentant, et Hermathenam adeo suavissimo consortio copulant, ut non dubitem, illum evasurum alterum SILESIÆ nostræ OPITIUM.

Epistolâ die 27 *Maji* 1671 *Epperiessini scriptâ ad Kuhlmannum.* Testor ex fide, Prodromum hunc futuri majoris Operis Historico-Ethici, mirifice sese approbasse

baſſe mihi ac arriſiſſe. ------ Quantum autem ex fimbriâ de textu judicare, et Leonem ex ungue licet dignoſcere, cenſeo utique totum ipſum ſcriptum luce publicâ ſore dignum, nec laude ac fruge ſuâ iri deſtitutum,

Cum simul et jucunda et idonea dicere vitæ
Inſtituat, et Hiſtoriam adeo cum Ethicâ, Theoriam cum Praxi ſororio quodam vinculo connectat, ut lectorem ſuum nec ſine ſuavi ſcientiæ guſtu, nec ſine gravi vitæ probitate unquam dimittat,....Vale, Eruditiſſime Adoleſcens, et viâ virtutis ac induſtriæ ad famæ templum graſſare porrò ſtrenuè.

Epiſtolâ Teutonicâ Epperieſſini d. 13 Jun. 1672 ſcriptâ ad Kuhlmannum, in Heraldo Hiſtorico impreſsâ. Quantùm ex tranſmiſſo ſcripto, Heliotropium nominato, pro quo Tibi ad ſummas gratias et maxima Officia obligatus ſum, aſpicio, invenio iſtud tanquam Hortum multiplici varietate amænitateque inſtructiſſimum, ac ambulacrum omnis generis acutiſſimarum Sententiarum, conſiderabilium Similitudinum, amabiliſsimarum inſigniterque rariſſimarum Hiſtoriarum, quæ apud litteratos illiteratoſque ſingularem ſuam delectationem utilitatemque reddere poſſunt. Ad adeptum Poetæ nobilis Cæſarei nomen, de quo mihi Frater meus ſcripsit acclamo Feliciter, Feliciter! et optarem, ut Laurus meritiſſimo ſuo accepta, cum Nobiliſſimâ Palmiferâ Societate quàm proxime ſe connectat utque nomen Domini mei honoratiſſimi ad famam utilitatemque gloriosiſſimam communis noſtræ Patriæ indies altius ſublimiusque aſcendat.

IV. Johannes Acoluthus, SS. Theol. Doct. Eccleſiæ Uratislavienſis primariæ Eliſabetanæ Paſtor, Eccleſiarum Scholarumque Auguſtanæ Confeſſionis in eâdem Republicâ Inſpector, Profeſſor Publicus, Judiciiq; Eccleſiaſtici Adſeſſor

In Teſtimonio ad Senatum Uratislavienſem circa annum 1670 dato in curiâ reſervato, ſuperflue gravis prò

Kuhl-

Kuhlmanno fuit Testis, cujus Authoritas invidentis Rectoris Senatorisque malitias maculasque evertebat ac avertebat. quibus ex toto corde omnia remicto, quamvis sub ipsorum personis adhuc Inimicorum meorum fraudes mihi exhibeantur. Quale Testimonium ergo hoc fuerit, vos ipsi, O mei Uratislavienses, perspicite proque memoriâ vestrâ ad Testimonium reservate. *Videatur infra Titulus* X.

V. Johannes Volk-Bechmannus,

Hæreditarius in Obertræbra, Juris utriusque Doctor et Professor Jehnensis,

De cujus Testimonio ab Anno 1671 *insinuat Prodromus Quinquennii cap.* 7 *sequentia :* Epitaphiorum meorum, quæ decimo quinto conceperam anno, reiteratam Editionem summo cum applausu exhibui, ex illâ simul singulari amore Magnifici Antecessoris dotatus, qui meum ingenium unà vice et aspexit et suspexit, admirabilem spem de illo sibi faciens.

VI. Elias Thomæ,

Gymnas. Uratislav. Elisabetani Rector cæterarumque ibid. Scholarum Inspector,

Litter. vratisl. 19 *Jul.* 1671. *dat ad Kuhlmannum.* Ego spem facio cunctis Te effecturum σὺν Θεῷ ut Patroni tui intelligant, Juventutis tuæ Ver jucundum prædixisse divitem Autumnum. Rogo autem de me ita sentias, ut neminem putes plura pro Te molituram, &c.

Id Ep. vratisl. 13. *Maj.* 1673. *script. ad Kuhlmann.* Heraldus tuus Historicus mihi in istâ tuâ ætate apprime placuit, cum assiduitate delectus ille rerum et varia atque pene ætatem superans autorum probatorum evolutio.

Abra

VII. Abrahamus Plagge, Jeverâ-Friſius

Epiſtolâ Encomiaſticâ Teutonicâ, Jenæ in Natali Kuhlmanniano vicesimo primo, d. 25 Feb. 1672 ſub publicâ Cenſurâ Philippi Mulleri, Profeſſoris Eloquentiæ, publicè editâ in 4, SALOMONEM TEUTONICUM in Kuhlmanno jamjam contemplante: NB. Inſerenda hic ſunt; quæ ex defectu Exemplariorum in Omiſſis ſtabunt.

VIII. Henricus Cordeſius, Amſtelo-Batavus, Pauli Filius, Auguſtanæ Confeſſionis PASTOR Hagenſis

In Scripto publico Heptaglotto ad Kuhlmannum, Jenæ Menſe Februar. 1672 edito. NB. Ex Omiſſis ob defectum præſentem hic inſerenda.

IX. Ahaſuerus Fritſchius *J.V.D.* Sacri Palatii Cæſ. Comes, Conſil. Aulicus Rudolſtadio-Scwartzburgicus Synedrii Eccleſ. Aſſeſſor, Scholæ Provincial. & Alumnor. Inſpect.

Litter. Rudelſtad. 3. Mart. 1672. ſcript. ad Kuhlmannum. Clariſſime Domine Kuhlmanne, Amice colendiſſime, Egregia ſanè ſunt ſpecimina Eruditionis, quæ legenda tranſmiſiſti. Eccè ultrò & gratis ob merita tua tibi coronam Poëticam offero, et quidem mediante hoc diplomate. ----- Perge ita, ut cœpiſti, utilibus ſcriptis Patriæ et Proximo ſervire: Laus tua erit, et retributio non emanebit.

Id.

Diplom. 4. Mart. 1672. Rudelſt. dat.

Occurrit nobis Vir-Juvenis Clariſſimus ac Politiſſimus Quirinus Kuhlmannus Uratiſlavienſis in almâ Salanâ Jurium Candidatus digniſſimus, qui cum hactenus non unà egregia politioris litteraturæ, cum primis Artis Poëticæ ſpecimina, non ſine inſigni Doctorum Virorum applauſu ediderit, eum laureâ Imperiali, Poëtis dicatâ Muſarumque manibus nexâ digniſſimum judicavimus, eique proprio motu coronam nobilem Poëticam obtulimus. Diplomate igitur hoc noſtro publicè teſtamur, nos prælaudatum Dominum Kuhlmannum auctoritate Cæſareâ, Poëtam Nobilem Cæſareum creaſſe ac declaraſſe, eodem jure & effectu, ac ſi ab ipſis Auguſtiſſimi Imperatoris manibus coronatus eſſet. Idemque gaudeat omnibus privilegiis, honoribus, dignitatibus, quibus cæteri Poëtæ Cæſarei tàm de jure quam conſuetudine, in ſacro Romano Imperio frui ſolent. Præterea prænominato D. Kuhlmanno non tantum licentiam concedimus Poëticam artem ubique legendi, exercendi ac ſcribendi, ſed & ei jus aureorum annulorum & ceræ rubræ Uſum in ſigillando largimur. Qui contra fecerit, vel Privilegium hoc noſtrum ullo modo impugnare auſus fuerit, ſexaginta libras auri ſolidi, quoad alterum dimidium Cameræ Imperiali, quoad alterum verò Nobis exſolvere damnas eſto.

Litt. Rudelſt. die 6. Jan. 1673. ſcript. ad Kuhlm.

Nobilis et Clariſſime Domine Kuhlmanne, Amice colendiſſime, cum cordolio tuam valetudinem adverſam ex tuis litteris accepi. ..... Procul dubio singularis induſtria, quam hactenus in ſtudiis excolendis exhibuiſti, morbo cauſam aliquam præbuit. Quapropter attemperabis diligentiam, ut corporis viribus proportionata ſit. Deus reddat tibi priſtinum vigorem, quo pro gloriâ ejus Proximique ſalute ulteriùs perfrui poſſis. ..... Pro tranſmiſſo Heraldo Hiſtorico grates ago. Alterum Exemplar Illuſtriſsimo Comiti obtuli, quod gratum fuit, memoriæ ergo Bibliothecæ noviter inſtructæ additurus. Cæterum ſtudium tuum perplacet *Aulæ noſtræ*, X. M. Je-

X. M. Johannes Fischerus, Pastor Ecclesiæ in Rotenstein et Oelknitz,

Circa annum 1672 & 1673, *ex Osculorum Amoris cælestis* (Himmlische Libeskûsse) *lectione supernaturale Testimonium sensit deditque, de quo in Epistolâ Londinensi ad Acoluthum extant sequentia,* §. 22.

Tuus erga me Amor, quem olim toti Senatui ostendere in re meâ non dubitasti, optima sperare de te excitat, nec ingratus meus Redamor exstitit, scripto Osculorum Amoris cælestis declarante, quod Adolescentulus recreationum horis conceperam stilo Poetico, et Novemdecennis Tibi, more consueto, dedicaveram.

23. Quod scriptum eò gratius, et mihi et vobis esse debet, quò testimonio non humano, sed cœlesti confirmatum est altius, non solum Niemanno, Jenensi Superindente, Joh. Musæo, Primario Lutheranorum vestrorum fere Athletâ Academico, aliisque scientibus, sed etiam superfluè circa annum 1672 reipsâ in pago *Rotenstein* notificatâ supra meam spem ac mentem accidente.

24. Nam Pastor Ecclesiæ istius loci, Musæi olim Commilito, insperato quodam domestico infortunio, tantam melancholiam attraxerat, ut deplorandæ ruinæ propinquior quam propinquus esset, nec ullius solatium amplius appareret fructiferum.

25. Factum autem est, ut per mirificum accidens, ad istius ignoti mihi *Sexagenarii* ædes pervenerim, cui peraccidens istum Osculorum Amoris cælestis libellum transmittebam. Homo iste aspecto libello, tantum solatium in Animâ suâ percepit, quantum status suus requirebat, ut istum libellum è manu suâ transponere nollet, virtutem quandam in se sentiens

26. Rumor ad Domesticos meos Jenenses pervenit non solum, sed Senis istius Pastoris Marita, maximis per Deum precibus, peregrinum istum libelli transmissi auctorem sollicitat, ut ipse vellet propter misericordiam, retributionemque Altissimi, Maritum invisitare, quia magnum aliquid speraret de vivo ejus colloquio, cu-

jus mortuum scriptum tantam mutationem causaverat.

27. Ipse attonitus, nesciens responsionis, factus sum super his; veni tamen quanquam Adolescens ad Senem Pastorem, et mirabilissimâ Dei operâ, quæ incomprehensibilis est, præsentia mea semper cunctis fuit exoptatissima; absentia amarulenta, ut adventum meum hic non me decentibus verbis, toties exprimerent, quoties viderent, propter summam quietem, melioration-em ac parrisiam, quâ erga Pastorem nemo præter me uti absque deterioratione statûs ipsius potuit.

28. Post mensem, et quod supra, Senex iste ad pristinum statum pervenit, quem post Deum partim libello meo, partim mihi publicè adscripsisse, præfatus Niemannus, Jenensis tunc Professor, et Chemnitii Successor in concionatorio munere, præter multos imprimis est testis, quia ipsi ejusque Domesticis, senem pastorem invisitantibus, me præsente tota res fuit ab ipso Sene, ejusque Maritâ narrata. Plus his immorari tædiosum, nec tamen incongruum fuit narrare, quia Libellus tibi notissimus, fortasse facem accendet innocentiæ vocationis, quâ Scripturas utrasque ad pristinam Veritatem reducere gaudeo.

XI. Sigismundus a Birken, Comes Palat.

Litt. Norib. die 15. *Maj.* 1672 *dat ad Kuhlm.*

Di geistige Libeskülse (Edlet Vest- und Hochwolgelehrter, sonders Hochgeehrter Herr und vernehmer Freund) haben in diser Heiligen Osterzeit meine andacht vermehret; und wird di edle Poesi ni besser angewendet, als wann si nach ihrem ursprunge, dem Sonnenhause, zuruk lohet. Ich beglukwünsche di meinem Hochgeehrtem Herrn von disem himmlischem Preu lein zugewandte ewige Laubkrone, di seinem sinnreichen haupte wol anstehet: Der Himmel vermehre dise Ehren mit ehren. *h. e.* Basia tua Cælestia, Nobilis, Ex-

Excellentiſſime, Domine honoratiſſime et Amice præcipue, in hoc ſancto Paſchatis tempore devotionem meam auxerunt, nec unquam nobilis Poeſis meliùs niteſcit, quam cum iterùm ad originem ſuam, Solis domum reflectat. Gratulor æternam laurûs coronam, ab hâc cœleſti Heroinâ Domino meo honoratiſſimo traditam, quæ capiti ſuo tàm ingenioſo probe convenit: Cælum augeat ei hos honores honoribus.

XII. Georgius a Schæbel & Roſenfeld,

Cæſ. Maj. Conſil. Archiepiſc. Eccleſiæ ad S. Sebaſtian. Magdeb. Theſaurarius & Canonicus, Illuſtris Ordinis Palmiferi Uranophron

Litter. Magdeb. die 20. *Janu.* 1673 *ſcript. ad Kuhlm.* Edler Grosachtbar Hochgelehrter, inſonders vilgeehrter Herr, Werther Freund, vor den überſendeten Lehrreichen Geſchichtherold, worinnen der Herr ſeine ſchöne Gemüttsgaben zur genüge an den tag gegeben, bedancke ich mich zum freundlichſten. *h. e.* Nobilis, Clariſſime, Excellentiſſime, ac honoratiſſime Domine, Amice colende; Pro tranſmiſſo Morali Heraldo Hiſtorico, in quo pulcherrima tua animi dona ad ſatietatem prodidiſti, gratias ago quàm amiciſſimas, &c.

XIII. Athanaſius Kircherus

Epiſtola Romæ die 8 *Febr.* 1674 *Leydam datâ ad Kuhlmannum.* Excellentiſſime, Inclite, Doctiſſime; incredibili ſane intimæ Voluptatis ſenſu litterarum tuarum dulcedine perculiſti cor meum,

quas si unanimi Charitum conspiratione tibi dictatas fuisse dixero, non fallar. Siquidem ex iis nescio, quo Naturæ magnetismo impulsus agitatusque, mirum quendam animorum consensum ex ingeniorum similitudine, nec non ex morum studiorumque ἰδιοτροπία exortum cognovi, qui ubi reciproci amoris fomitem agit; ita quoque nemini mirum videri debet, si ex ita dissitis locorum intervallis attractum totum me & æris & juris tui fecerit..... Reliqua reconditioris doctrinæ (*Lullianæ*) arcana, primo statim nisu funditùs penetrare, uti nec dum mihi à Patre luminum concessum fuit, ita grandiorum mentium sublimitati ac potissimum illuminatæ mentis tuæ lynceæ perspicuitati HANC SPARTAM tibi reservatam esse planè mihi persuadeo, cui adornandæ ut constanter insistas, quibus possum precibus, à Te instanter contendo. *Macte animo, filo Ariadnæ munitus* facilè te ad occultos Philosophiæ Lullianæ thesauros in hujus artis labyrinthæis recessibus abditos, magno Reipublicæ litterariæ emolumento penetraturum nihil dubito. —— Neque vereri Te velim, si ea tuis placitis non usque quaque responderint aut à meis sententiis recesseris, id ægre me laturum, imò summo me benèficio affectum arbitrabor, *si desultorio calami lapsui* nonnullum mihi subsidium contuleris. Vale, Vir Excellentissime, *unicum amicitiæ meæ Decus*; Vale iterumque Vale Deo, Reipublicæ litterariæ, Tibi. Magnificæ Eruditionis Tuæ, &c.

Epistolâ Romæ die 18 *Junii* 1674. *scriptâ ad Kuhlmannum.* Vir Excellentissime Πανσοφε, Volvi et revolvi non sine stupore Epistolam tuam.....Magna sane ἄπιστα καὶ ἀνεκφώνητα promittis; QUÆ, UTI SUPRA OMNEM HUMANI INGENII CAPTUM LONGE CONSTITUTA SUNT: ITA EA QUOQUE A NEMINE HUCUSQUE NON DICAM TENTATA, SED NE COGITATA QUIDEM FUISSE AVDACTER AFFIRMO. Atque adeò aliud mihi suspicari non liceat, nisi talem te divino munere Scientiam adeptum esse, qualem sacra Pagina de PROTO-

PLASTO

PLASTO & SALOMONE teſtatur; explico, *Adamæum, Salomonicam*, verbo: INFVSAM, nulli Mortalium, niſi tibi ſoli notam, cæteris inexplicabilem Scientiam..... Quicquid ſit, ſufficiat mihi, ea, quæ edidi nova & παράδοξα, ab *ALEXANDRO* VII. PONTIFICE MAXIMO, IMPERATORIBVS *FERDINANDO* III. ET *LEOPOLDO*, deinde à REGIBVS ET PRINCIPIBVS INFIMIS ET SVMMIS, non ſolummodò facto experimento comprobata; ſed et communi calculo fidem ſuam, Veritatemque hucuſque ſuſtinuiſſe. Nec deſunt indies *ex omni natione Advenæ*, qui novæ doctrinæ arcana participaturi ad me confluant. Et ſi non dubitem, quin tu, *Amantiſſime Quirine*, pro INCOMPARABILI INGENII TVI VASTITATE meis nugis et majora et admiratione digniora ſis proditurus..... Vale VIR MAGNE, multos in annos Deo, *Reipubltcæ litterariæ, Tibi*, meque, uti facis, benevolentiæ tuæ favore proſequi non deſiſte. *Eruditionis tuæ Cultor & Admirator* Athanaſius Kircherus.

XIV. Chriſtianus Hofmannus ab Hofmannswaldau, Cæſ. Maj. Conſiliarius, Reipubl. Uratiſlavienſ. Auguſtæ Senator primarius rerumque ibidem militarium commiſſar. ſuperior, poſtea Præſes Uratiſlavienſis

Litteris, Breſlæ die 10 *Febr.* 1674 *datis ad Kuhlmannum.* Velim firmiter credas, Tuas, 10 d. Decemb. elapſi anni Lugd. Batav. quod mihi per integrum annum eruditum hoſpitium præbuit, amicè datas, mihi non perfunctoriè acceptas fuiſſe. Admonitu enim revocatur adfectus et videor mihi recordatione tam celebris urbis ſuffundi illis animi motibus, quibus tunc agitabar, cum viverem in amplexu Heinſii, Salmaſii, Boxhornii et aliorum Virorum, quorum nomina digna ſunt, ut inter ſidera numerentur. Ex tuis ſubinde noto, Te

sinistro judicio Patronorum de conatibus tuis in linguâ vernaculâ, horrore fuisse percussum. Non est, quod plus æquo inde commovearis. Si me pro innatâ mihi integritate audire vis, tibi amicus absque velamine loquar. Quod linguam nostram tam soluto, quam ligato stylo frequenter exerceas, nullus nostrum Tibi improbatum ivit. Verum visus es nonnullis, neglecto naturali pulcritudine, nimis fucos et colores circumspicere, et spretâ æquali texturâ, licentiùs fimbriatam et pictam eam reddere..... Ista pro adfectu, in Te, meo monere volui, et spero eo animo acceptum iri, quo scripta sunt. Cæterum velim spero, Tibi non defuturos Patronos, in quorum serie me semper Antesignanum conspicies. Quod jam in luce hominum verseris, mihi summopere jucundum existit.

* *Ad hanc Hofmannianam Epistolam Responsoria Kuhlmanni Apologetica hæc regessit:*

Cetera, in tuis excusata, silentio malui quàm scriptione prosequi, tuam integritatem ac absque velamine locutionem pro eo, quo scripta erant, animo et acceptans et intelligens. Velim tamen scias, non omnes vestratium sic esse, ceu Tu es, et me nonnullos tantæ Invidiæ, ruditatis, malitiæ, ejusque commatis vitiorum consortes sensisse, ut oculis auribusque meis fidem denegassem, si potuissem. Duos Scopulos in Patriâ meâ habui, unum in vestro Seyfarto, alterum in invidiosissimo Pechnero; de quibus duobus, si loquerer, quod Paulus de Alexandro: ΣΕΥϹΑΡΙϹΣ ϗ ΦΕΧΝΗΡϹΣ πολλά μοι κακὰ ἐνεδείξατο. ἀποδώη αὐτῷ ὁ Κύριος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ: rectissimè loquerer. Æternam autem memoriam, quam ambo infamosis actis sunt meriti, ambo à me accipient, tamdiu Prodromus meus examinatus Europæum Orbem tàm in Latino Originali, quàm plurimis linguis aliis, puta Anglicanâ, Batavâ, Teutonicâ, peragrabit: nec ad Vratislaviam meam pertinet, ejusque laudabiles Viros, quod ad illaudabile hoc Par pertinet, ac illius Fratres. Veritatem tàm in his quàm in cæteris eloquor, nullius odium aut iram ampliùs curans, et Mendaciorum Amatoribus pænitentiam toto corde apprecor, ne Mendacii ruinam æternaturam,

jam

jam jam lentè feſtinantem, Ipſi atteſtentur. De ſtilo autem meo Germanico, quo in Scriptis juvenilibus uſus, indicabas varia, multis viſa, quæ certe fragiliora Vitris deprehendi. Si enim pervolutaſſent æquâ mente Opuſcula iſta, tantam varietatem ſtili pro materiis obſervaſſent, quantam in Vernaculæ Scriptoribus nullibi, nec mihi vitio dediſſent, quod celeberrimis quibuſdam Viris, Latinorum Barclaio Barthioque, Anglorum Sidneio, Gallorum Serrèo, Italorum Marino, Hiſpanorumque, Belgarum, Germanorum aliorumque Populorum, in tali ſcriptionum genere, laudi darent. Aſt quibus offenſioni fuit unica Periphraſis, ætatis noſtræ annos comparativè, ſed perappoſitè, circumſcribens, Arti magnæ eloquendi cum talibus millibus-millenis innixa; iſtis neceſſariò maximè diſplicere debuit Stili picta varietas, quam æmulari deſperabant. Aranei ubique venenum exſugunt, Apes mel; et longè aliud Judicium feciſſent de gemmis abſconditis, quas mox ſuſpexit, dum aſpexit, *Romæ Athanaſius Kircherus*, niſi ignoranti Invidia laboraſſent.

XV. Samuel Gottlib Scultetus

Herrnſtadienſis Sileſius, hodie Medicus Delphenſis,

Epiſtolâ, Hagæ Comitum d. 26 Auguſti 1674 ſcriptâ ad Kuhlmannum. Vir Nobiliſſime, Excellentiſſime atque Doctiſſime. Fautor atque Sympatriota omni honore cultu ſuſpiciende, amande, gratulor Sileſiæ Patriæ meæ, et quidem non modicè gratulor, ob erudita à Te, partim edita, partim jam jam edenda ſpecimina. Ingenii tui acumen haud vulgare noſtra jamdudum mirata eſt Metropolis, abitum tuum doluêre Jenenſes, plura ſibi pollicentes ſcripta Kuhlmanniana. Verum enim verò animo tuo infixum erat, præſens exteris tuam monſtrare eruditionem, ne perſuadere ſibi patiantur, Sileſiam noſtram vix ullum, ad res præclaras natum, alere Muſarum filium. Dehinc et Tibi, Nobiliſſime Kuhlmanne, gratulandum, ſiquidem Te ſupremo honorum culmini magis-magiſque appropinquare videmus. Quid in re Poëticâ jam dum præſtiteris, ignorare non poſſum —— Vale, *Patriæ noſtræ Decus*, meque, ut cæpiſti, in Tuis numerare perge.

Testimoniorum Humanorum

CAPUT II.

sive

Testimonia Poetica Illustrissima, de Puritiâ Adolescentiâque *Kuhlmanni*, sub quibus continetur

Laurus Kuhlmanniana Nobilis,

Latino Teutonicoq; Carmine gratanter accepta à Patronis, Fautoribus, Amicis.

Juxta Editionem Jenensem, sub Censurâ publicâ Professoris Philippi Mulleri, publicatam Anno M.DC.LXXIII.

I.

AD

Nobilem Clarissimumque D. Quirinum Kuhlmannum, *Jur. Candidatum, & Poetam Cæsareum, Amicum suum colendissimum.*

LAurea Musarum datur, optima-maxima merces
KUHLMANNO nostro: Laude coronet Eam.

Festinabat Rudelstadii 5 Mart. 1672.

Ahasuerus Fritschius, J. U. D.
Com. Palat. Cæsar. Consil. Aul. Schwartzburgicus.

II. *Auto-*

II.

Autogramma.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
QUIRINUS CUELMAN POETA.

Anagramma.

12 7 9 11 17 19 14 6 1 2 20 13 5 4 3 8 16 18 15 10
LUCEO TANQUAM IRIS PENU.

Diagramma.

IRim de cœlo miſit Saturnia Juno,
Credere ſi fas eſt, hàc ope lucet humo.
Docti grande PENU roris tua pectora complet,
Entheus hinc cœli Spiritus aſtra petit.
Splendens fortunæ radiis et lumine dices:
Luceo tanquam Iris Sole micante, PENU.

αὐτος χαριζων
Vinariæ Imque ponebat Amico ſuo gratulabundus

Conradus von der Lage,
SS. Theol. Licent. Seren. Sax. Princip. à Concion. Aulic.

III.

ALtiùs æthereà nunc ſcandens Phœbus in Aulà,
Et radios fundens in loca noſtra ſuos:
Telluris frontem cingit florente coronà,
Dum variis iterum floribus ornat eam.
Ex Te, mi KUHLMANNE, velut tellure feraci,
Produxit Flores ſic et Apollo novos.
His ergo juſto ſerti curvamine junctis
Conſtrinxit Crines, docte Poeta, tuos.

Gratulab honoribus meritiſſimis Salathenis f.

Erhard Weigelius P. P.

IV. *Ad*

IV.

Ad Clariſſimum ac Politiſſimum
Virum Juvenem
DN. Quirin. Kuhlmannum
Poetam Cæſareum, *Amicum æſtimandum.*

TE lætor juvenem nocte ſilentii
Famam Pegaſeis tollere niſibus.
Ætatis niveæ ver benè collocans,
Indormire vetas pectus inertiæ, &
Dum doctæ ſuperas culmina Palladis,
Incingitque decus tempora laureum,
Ad pulchram invidiam ſecula provocas.
Hanc quondam ſtudiis ſum ſegetem tuis
Breſlæ pollicitus nominis auream.
Promiſſo veteri ſubjicio novum:
Poſthac Breſla favens non erit immemor
Tam claris ſtudiis reddere præmia.

Scrib. vratiſl. VII. Cal. Maji ↀ Ɔc LXXII.

Elias Thomæ.

V.

EUge diu meritâ præcingere tempora lauru!
Cingere bis doctum, Culte *Quirine*, caput!
Non etenim ſolus Remo cum fratre *Quirinus*
Te Civem agnoſcunt rite probantque ſuum;
Sed pariter punctis quoque Te locupletibus ornat,
Et vatem laudat Teutonis ora ſuum.
Quin Celtæ † dubiam poſſis effingere palmam
Laurea cui primum Teutoni nexa fuit.
Teutoni, ſed Latiæ Vati ſub imagine linguæ,
Carmina Tu Latio et Teutonis ore ſonas,
Macte igitur ſacræ ſtudiis quoque porro Themiſtes:
Te ſimul Eunomiæ Sancta Tiara manet.

Ita vovet, ita ſperat

Johannes Gebhardus,
Profeſſ. & Con-R. Wratiſlav.
Eliſabetan. VI.

† *Norbergæ à Friderico* III. *Imper.* 18 *April.* 1491.

VI.

Plin. lib. I. Ep. 8.

Sequi Gloria, non appeti debet.

ARduas alit, quod ajunt, Artium pollens Honos,
Et ſacri virtute partum Teſtimonii decus,
Diditumque in orbe famâ Gloriâ præconium.
Dignior proin capeſſis, *Kuhlemanne*, Nobilem
Sponte quam ſuâ *Coronam* deſtinat *Poeticam*
Nec rogatus promerenti cedit Ingens *Fritſchius*,
Fritſchius, Dicæ Sacerdos, *Cæſariſque Corculum*.
Gloriæ fax beſtiæ inſtar emicat Nilotidis:
Qui fugit, ſequetur ultro; perſequens contrà fugat.
Macte conceſſis brabeis, *Pectus ô dulciſſimum*
Et Salanis Monſtrum Athenis nobiliſſimum omnium!
Macte Laureæ gemello ſplendidæ Axiomate
Quam Budorgici augurata eſt Magdalis Minervii,
Libero vincloque, Pithûs per nemus, greſſo pede
Euge! cum Magiſter, *Euge*! clamitaret, ſepties
Reppetens *Sophos*; *Quirine*, quanta Merces Te manet!
Luculenta jam minatur Litteratus Præmia
Adſtupendo digna ſeclo miſſa tot *Moralia*
Ignei fœtum feracem, Pube Majorem, Ingeni,
Scripta cereum ſub ævum publico hactenus data.
Laus viget Laudis, pediſque verticiſque, cenſeo,
Celicæ Virtutis omnis, creſcit æſculi in modum,
Muſathenam & Hermathenam (miſceas dulci utile
Hora nam monet) ſeveræ glutinari Codicis
Perge Rubricæ ſcienter pertinaci induſtria,
Patriæ Forique LYTA profuture commodis.
Gratiarum ſic Ocellus; Flos Themiſtos audies.

Nobiliſſimo & Clariſſimo Juveni QUIRINO KUHLMANNO, *Wratiſlav. J. V. Candidato, Suo*, Laureâm Nobilem Cæſaream *prolixiore affectu quam venâ, Moribus antiquis, ex animi gratulaturus ſententiâ, in maximâ Sileſiæ, Menſ. Junio* Ann. A B O. R. cIↃ IↃCLXXII. *ſcavi ominis ergò amicitiæque L. M. Q. profundebat*

M. Chriſtophorus Pomarius,
Gymnaſii Magdalenei Con-R. Ad

VII.

Ad præclarè doctum

QUIRINUM KUHLMANNUM

Poetam Nobilem Cæsareum

Martinus Hankius,

In Gymn. Wratisl. Elisab. Phil. Pract. Histor. Eloq. Prof. & Bibliothecarius.

PLus solitò clemens illum Natura beavit,
Qui videt ingenio cuncta patere suo.
Hunc fovet in gremio mater Fortuna benigno,
Qui valet ingenio prodere multa suo.
Tu felix utroque modò, *juvenilibus annis*
Certas cum doctis, non sine laude, *viris*.
Exornare comas olim consueta viriles
En! tua vernantis tempora Laurus habet.
Te porro Virtus ducat, comitetur, AMICÆ,
Conatus: sic Te porro sequetur Honor.

VIII.

Nobili ac Litteratissimo

Domino Quirino Kuhlmanno,

J.U. Cultori maviſſimo, Poetæ Laureato digniſſimo *Eruditæ Antiquitatis & Polyhistoræ Doctrinæ Anag. nostæ solertissimo*, præmisso voto perpetuæ salutis & Καλοκἀγαθοπραγίας de Laureâ ultrò collatâ Gorlicii die XVII. Juli Anno M.DC. LXXII. gratulatur

Johannes Godofredus Metius.

TU qui Calliopes astrimicans decus
Effato nitido Delii Apollinis
Ringente invidiâ, haud immeritus clues
Sectator Themidos; *Fautor* et *Optime*,

Kuhl-

Kuhlmanne, à teneris unguiculis mihi
Præcare, ut celebrem carmine debito
Dotes aurifluas ingenii cati
Ne poſcas, etenim juſſit amor meus
Immenſum cumulum divitis Ingenî
Dudum Pierio carmine pandere,
Qui linguam egregiam Teutonicam colis
Inſigni ſtudio, quod Tibi *Fritſchius*
Illuſtris redimens tempora fulgida
Lauro retribuit cum peteres minus.
Nunc partes peragant hi Choriambici.
Ignis cçu rutilans prodromus extitit
Quod tandem fieret puſio Servius
Clarus Rex Latii. Sic tuus Entheus
Olim ardor genii ſigna dabat mihi
Certo conjicerem Te fore Sleſidos
Fulgentem radium præcelebris ſoli.
Quid plura! omen adeſt: Ingenium igneum
Flammas en ſubitas fundit ad æthera
Exin ſurgit honos nominis incluti.
Præſtas Te *ſimilem præcipuis* † *Viris*,
Reddis Te aligero *Scaligero* parem,
Pernix cum properas Palladis ad Thronum,
Præcoci ingenio carmina publicans.
Inflammat *Gryphii* fama ſuperſtitis
Pectus flammiferum, totus ut ardeas
Parnaſſi gemini ad culmina ſcendere.
His magnis Ducibus nitere firmiter
Infracto ſtudio tendito ſemitam,
Calcatam Superum Numen ab æthere
Succeſſus facili proſperitet manu.
Heroum redolent carmina ſpiritum,
Doctrinæque ſcatent multijugæ penu.
Momus luxuriem culpet, at ocyus
Cum annis veniet Judicium probum,
Abſtergens niminm, ſuavia temperans.
Sublimes animæ ſuſpiciunt tuos
Fœtûs ingenii, doctaque carmina;
Auſûs concelebrant, queis labor improbus

† *Lipſio*
Mureto,
Eraſmo,
Grotio,
Heinſio,
aliiſque.

Elu-

Elucet, memores Judicium catum
Annis verniferis esse datum minus.
Inclinans acies, assiduus labor
Arridentque tepido Castalidum choro.
Decretum placidum Præside Apolline;
Profert *Fritschius*, en hic Comitis catus
Schwartzënburgiaci Consiliarius.
Condigno Titulo Musa novensilis
Optat cordicitus prospera quælibet.
Sit præsens titulus calcar ad optima
Ruspari ulterius pergito sedulus,
Donec Cecropiæ Palladis intima
Perfractis foribus mente adeas sagax.
Sic *Kuhlmannus* eris; culmina dum petes
Parnassi bijugis: Fama per æthera
Scandet: SLESIADIS ALTER OPITIUS
Fies: Officium Bresla parat Tibi,
Quæ Te ceu Sobolem mente benignior
Accerset gremio, præmia dividens.
Sin Fatum renuat, scito & in exteris
Oris appositè tempora transigi.

IX.

PANEGYRIS

Splendido Consulatui Probini & Olybrii fratrum olim à Præglorioſiſſimo Poetarum *Claudiano* dicta, nunc

Quirino Kuhlmanno

Vratislavienſi, cum III. Non. Mart. Anno MDCLXXII. Laureâ Nobili coronaretur, Parodiâ puriſſimâ consecrata ab

HENRICO CORDES Amſtelod. LL. AA. Magiſtro & P.L.C.

GUttale, qui liquidis Bresslam complexus habenis,
Volvis inexhausto redeuntia flumina motu
Sparge caput meliore comâ, fluctuſque repressi,

Blandius elato surgant temone jugales
Efflantes virgeum freno spumante liquorem
Jam nova Brellanis minitatur gaudia cœlum
Doctisavens, plauditque libens exordia Sala.
Scis Centem Doctam, nec te latuêre Poetæ
Sleſiades: nam sæpe soles nascentibus illis
Complanare vias, sonituſque agitare serenos.
His neque per dubium pendet fortuna pavorem
Nec novit mutare vices, sed fixus adhæret
Sileſiis prædictus honos: quemcunque Poëtam
Germanum videas: Certum de Sleſide nasci.
Per sastos numerant Vates, semperque renati
Nobilitate virent, et prolem fata sequuntur,
Continuum simili servantia lege tenorem.
Nec quisquam externus tentat, licet ære vetuſto
Floreat & claris cingatur Roma Poëtis,
Se jactare pares, sed primâ sede relictâ
Sileſiis de jure licet certare secundo.
Haud secus ac tacitam Lunâ regnante per Arcton
Sidereæ cedunt acies cum fratre retruſo
Æmulus adverſis flagraverit ignibus orbis,
Tunc jubar Arcturi languet, tunc fulva Leonis
Ira perit: plaustro jam rara intermicat Arctos,
Indignata tegi: jam caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inermem.
Quem prius aggrediar: Gryphii quis mellea
Neſciat, aut nimias laudes ignoret Opiti: (scripta
Vivit adhuc, completque vagis sermonibus aures
Invida Laus Gryphii, quam nec ventura silebunt
Luſtra, nec ignotâ rapiet sub nube vetuſtas:
Illum fama vehit trans æquora transque remo-
Æquoris ambages Atlanteoſque receſſus (tas
Audiit & tepido si quem Trinacria pascit
Sub dio, aut medio si quis conjunctus in axe
Undantem Te Rhene bibit; Virtutibus ille
Deſidiam domuit, nunquamq; levantibus alte
Decubuit curis: sed mens circumflua gazis
Noverat ingenii semper servare vigorem
Belluo librorum qui solus singula scivit:

Aſt non divitias nigrantibus abdidit antris
Nec tenebris damnavit opes: ſed largior imbre
Suevit adhuc libris hominum ditare catervas.
Quippe velut denſo currentia carmina nimbo
Cernimus, atque ſuos verſûs penetrare per orbem:
Hos Sinus omnis habet, manus omnis gaudet habere.
Inſpicit indoctus, remeare Poëta videtur.
Præceps ingenium fluvios ſuperavit Iberos
Aurea dona vomens, si quis tellure revulsâ
Sollicitis fodiens miratur collibus aurum.
Quantum ſtagna Tagi rudibus ſtillantia venis
Effluxére decus: qvanto pretioſâ metallo
Harmi ripa micat: quantas per Lydia culta
Deſpumat rutilas dives Pactolus arenas.
Non mihi centenis reſonent si vocibus ora,
Doctaque per centum verſetur corda Poëſis:
Facta Gryphi narrare queam: quod in ordine doctos
Reddiderit, nec non ad magni culmina honoris
Venerit: illuſtris Terræ cum frena teneret
Glogoviæ ſummi magiſtratus munere Conſi:
Sed Kuhlmannus adeſt, *Phœnix Rariſſimus Ævi*,
A quo præfulgens expectat Celſa Budorgis;
Auſert Majorum palmam, ſoluſque meretur
Laudari Victor Gryphii: non contigit illi
Summus honor, primâ cum parte vireſceret ævi,
Ut ſuperaſſe viros, qui Patrum Monſtra fuiſſent,
Cenſerent cuncti: Te non, *Kuhlmanne*, fatigat
Cura diu majora petens, non anxia mentem
Spes agit, et longo tendit præcordia voto.
Cœpiſti, quo finis erat: Tua cœpta celebres
Vix pauci meruere Senes: metaſque tenebis
Ante genas dulces quàm flos juvenilis inumbret,
Oraque ridenti lanugine veſtiat ætas.
Poſtquam Kuhlmannus debellans viribus hoſtem
Desidiam ſtudiis omnes laxaverat artûs:
Æternam Laurum perſolvere diva Poëſis
Optat: Fritſchiaden magnum flexura rogando
Ire parat: Cygni currum junxére volantem
Suada movens animos et mellea copia fandi,

Semper

Semper quæ divam ſonitu comitatur amœno
Sive petat Latium, ſeu pulſet Toutonis ora:
Hæc ligat axe rotas, hæc ſub juga candida nectit
Quadrupedes, prenſatque monilibus aurea dorſa.
Ipſa triumphanti ſimilis divina Poësis
Aſsilit, excelſæ ritûs imitata puellæ,
Cultu cæſariem crinali ſtringere colle
Ornatu pulchro patitur mollire retorto,
Dextrum nuda latus, niveos exſerta lacertos
Laurea ſerta caput cingunt, laxumque coercens
Mordet gemma ſinum nodus qui colligat artus
Album puniceo pectus diſcriminat cîtro.
Miſcetur decori vultus, pulcerque ſereno
Irradiat fulgore pudor, pleniſſima ſtellis
Fulva decorarum prætenditur umbra jubarum,
Et longe nitido vincit diademate Solem
Ignicomum flammis ſuperans palatia cœli.
Hic ætatis amor, veſtitus & optime campus
Arboribus: poſt amnis ineſt & Pegaſis unda,
Nec non aſtriferi faſtigia dulcia montis.
Hic luſtrare juvat ſumma dulcedine parvi
Quomodo per Muſas Pueri informentur in arte,
Quomodo doctrinâ velut ac adamante coruſcent.
Jam ſimul emiſsis rapido velocior Euro
Fertur equis, ſtridunt Zephyri, curſuque rotarum
Splendida dividuis clareſcunt nubila ſulcis.
Nec traxére moras ſed lapſu prot nus uno,
Quem poſcunt tetigere locum, quæ dicitur al-
Rudopolis famâ celebris, quam fine ſub uno (tà
Illuſtris decorat Comitis Schwartzburgica ſedes.
Albert-Antonius præeſt hic, Splendor honorum
Magnorum nitidus, Virtutis ſtella coruſca,
Sol generis ſummi, nulli pietate ſecundus.
Aeriæ turres, firmataque mœnia turgent
In cœlum creſcunt quercûs vallemque decoram
Frontibus exornant: ex alto robora Salæ
Aſsiduo diffiſa ſuo nunc advehit unda,
Haud procul & Studiis curiſque per omnia laſ-
Ceſpite Fritſchiades conſederat; arbore fultus (ſus,

Ac-

Acclives humeros: Conſum gaviſa coronat
Terra ſuum, ſurguntque toris majoribus herbæ
Sudor adhuc per membra calet, crebroque recurrit
Halitus et radiant rutilantia lumina vultus:
Qualis lethiferâ populatus cæde ſceleſtos
Procubat aſtriferis Juſti regnator in arvis.
Ut ſtetit ante virum diſcuſſas diva per auras
Fritſchiaden, ſonuit mons: Collætataque ſylva,
Majeſtate virens; prior hic, ô numen amicum
Fritſchiades inſit, nec non ô diva regendo
Circumfuſa polo, cui fandi copia juncta
Dic agedum quæ cauſa viæ? cur deſeris arces
Stelliferas, cœlumque tuum: dic maxima rerum:
Non egovel Lybicos ceſſem tolerare labores
Sarmaticoſve pati medio ſub frigore Coros.
Si tu diva velis: pro Te quamcunque laborum
Suſcipimus ſubito turbam, nullaſque timentes
Curas doctrinæ tentabimus aſtra beatæ.
Tum Regina refert: Non me latet, inclyte Frit-
Quod tua pro ſtudiis victricia caſtra laborent. (ſchi,
Nec quod ſervitium rurſus, queiſque omnia ſordent
Carmina laurigero ſub te cecidêre triumphis.
Sed precor hoc donum cum libertate recenti
Adjicias ſi vera manet reverentia noſtri.
Eſt animoſa mihi celebri de ſemine noſtræ
Sileſiæ proles, fauſtâ quam luce creatam
Ipſa meo fovi gremio: cunabula parvo
Ipſa dedi, cum matris onus DEUS Optimus alme
Solveret et magnum præferrent ſidera partum.
Nil hic *Virgilius*, *Statius*, nil *Flaccus*, *Homerus*,
*Lucanus*que ſimul, quos ora aluére profana:
Chriſticolum Vates ſanctiſſima baſia cantat,
Et Salvatoris celebrat veſtigia vitæ.
Laudatis pollet Studiis, multoque redundat
Eloquio, nec deſidiis dapibuſve paratis
Indulgere juvat, nec tanta licentia vitæ
Arripit, aut mores ætas laſciva relaxat.
Sed gravibus curis animum ſortita ſenilem
Ignea longævo frenatur corde juventus.

Illi

Illi quod meritum ſtudiis ab origine munus
Oramus, præbere velis: capitique corollam
Ipſius advoveas laurus: non improba poſco
Non inſueta dabis: Gens hæc de more requirit.
Annue! ſic nobis Janus, famuletur Huartus,
Sic et *Iſidorus* nec non *Plato* mente ſubactus,
Noſtraque Spartanæ timeant inſignia turres.
Sic fluat ad cunctos perque omnia ſecla Poeſis.
Heinſius et magnâ ſuper hos cum laude triumphes.
Reddit *Fritſchiades*: dudum exoptata volentem
Diva rogas: non hæc precibus tentanda fuiſſent
Uſque adeone meam condunt oblivia mentem
Kuhlmanni noſtri meminiſſe ut nomina nolim,
Vidimus Elyſiam quo nos aſſurgere linguam?
Ante dabunt hiemes Nilum, per flumina Damæ
Errrabunt, glacieque niger damnabitur Indus;
Ante Thyeſteis iterum contorrita menſis
Interciſa dies refugos vertetur in ortus:
Quam queat à noſtris diſcedere ſenſibus ille.
Dixerat et velox jam nuntius advolat urbem.
Extemplo Laurus *Kuhlmanni* tempora cingit.
Lætatur veneranda Themis et pollice docto
Ipſa parat trabeas quondam quas reddere ſpondet,
Stamina quæ molli tendent de ſtipite Seres,
Frondea lanigeræ carpentes vellera ſilvæ,
Et longum tenues tractus producit in aurum
Filaque concreto cogit ſqualore metallo.
O ſignata probè *Kuhlmanni* nomine laurus!
Atque Poetificis felix Auctoribus omen!
Poſſidet hic Laurum, qui Laurum laude meretur.
Cedite Romani *Kuhlmanno*, cedite Graji,
Cedite Vos Itali, facitis qui propria metra.
En *Guerrinus* adeſt, ſimul & *Baptiſta Marinus*
Cum *Stellis*, *Taſſis*, in noſtri corde *Quirini*.
Et quanquam veneres cunctas dulceſque lepores
Monſtrat *Kuhlmannus*, non hic latitare venena
Ut ſcriptis veſtris *Guerrine*, *Marine*, videmus.
Gloria *Kuhlmanno* ſemper memoranda per ævum
Ingens continget: *Kuhlmannum* cuncta loquetur
Tellus, *Kuhlmannum* ſcribent in floribus herbæ:
Longoque perpetuæ ducent in ſecula laudes.

X.

Nobiliſſimo atque Clariſſimo

D N. Quirino Kuhlmanno

Wratiſlavienſi, Juveni Portentoſæ Eruditionis Stellæque olim ſplendidiſſimè lucenti non ſolum Illuſtris Patriæ, ſed etiam (ſi quid ex luculentis ſignis veri auguror) Totius Germaniæ, Amico Meo Vere-Germano,

I. Cum Natale illius XXI. celebraretur, Jenæ Die 25. Febr. *Anno* 1672.

DULce Decus, nunc ſume tuum, quod do tibi, donum;
Do tibi namque meum, quod fuit ante tuum.
Cumque tuam mentem doctam celſamque revelet,
Hoc ipſo dono te tibi, meque tibi.
Sic hoc, ſi non id, Munus, *Kuhlmanne*, placebit,
Donec grata queam munera ferre tibi.
Hoc natale tuum tibi det, naſcaris ut olim
ILLUSTRI PATRIÆ ſplendida Stella tuæ.
Naſcaris Mundo Ductor Doctorque, Sophiæ
Delitium Doctis, Præſidiumque mihi.
Præteritum natale tuum ſua ſemina ſparſit,
Præſens ſit fructus tempus, Amice, precor.
Hanc Lucem ſemper cum læto conſpice vultu,
Nec ſit lætitiæ finis in Orbe tuæ.

II. Cum Laurum Nobilem ultrò oblatam Die 5. *Martii* 1672. Jenæ acciperet,

SOl Pater auricomus Lucis Genitorque dierum
Jam natale tuum roſeo veſtiverat omne
Ornatu, niveus dum Menſis Februus eſſet:
En nova nunc fiſtit ſpem præter gaudia quintus

Martius, incingens Viridi tua tempora Lauru,
Lauru, quæ decorat ſolum cum Cæſare Vatem.
Fritſchius Illuſtris Conſus Schwartzburgicus, altus
Induperatoriſque Comes Viſque alma palatî,
Non prece, nec pretiis, ardens Virtutis amore,
Ignoto mittit, quos mittere poſſet, honores.
O *Kuhlmanne* diu lauru digniſſime Vates,
Divite quem venâ fecit Natura Poetam,
Atque coronavit cunis divina Poeſis.
Laudabunt alii, cedro qui digna loqvuntur,
Ingenium rarum, quo vix eſt rarius ullum,
Judiciumque catum, quod cœli Spiritus implet:
Hanc non eſt licitum mihi Laudis adire Corinthum.
Ætatis curſum ſuperaſti, ſemper agendo
Grandius incæptum, ſuetum majoribus annis,
Conveniensque Viris, quos inficit albor Olorum.
Quam miranda foves tecum, quæ poſtera ſecla
Admirabuntur, Numen ſi aſſenſerit almum.
Magna latent, *Kuhlmanne*, tuo ſub pectore magno,
Perpetuò inventis addens inventa novella,
Tempore fructifico quæ Mundus uterque ſtupeſ-
Præmia Poſteritas promittit, cuncta rependens: (cet.
Nam monumenta tibi longum manſura per ævum
Exigit, obtrudens, jactat quæ Carminis Auctor
Altiſonus Flaccus, Romanæ Pindarus Urbis.
Cedite Pyramides Regales, cediteque æra.
Hæc non imber edax, hoc non violentia Cauri
Diruit, aut ſeries annorum frangere quibit
Innumerabilior numeris, tempuſque recurvum.
Non omnem rapiet *Kuhlmannum* Mortis amaror.
Multa ſepulcretum vitabunt, ſcripta manebunt.
Uſque recens creſcet gratorum laude nepotum,
Dum rutilans terris conſcendet ad æthera flamma,
Dicéris, rapidus quâ Guttalus obſtrepit unquam
Et quâ dives aquæ populorum Rhenus opimus
Regnavit, Dominus Regni, quo Teuto ſuperbit,
OPITIUS *Princeps Germani Carminis alter*,
Ex humili duxiſſe modos ad Teutonis ora.
Quicquid Terrarum poſſedit ſancta Poeſis,

Quotque venuſtates monſtravit pulcra venuſtas.
Vertice ſublimi feries ſic ſidera ſumma,
Vatibus inſertus divinis, ſumme Poeta
Lauriger, atque Decus Germanum, Gloria Breſlæ.
Sic reor, et ſi quid veri mens augurat, opto.

Paucis diebus ante abitum Jenenſem
Menſe Martio 1672. Tuus
Abrahamus Plagge Jeverá-Friſius.

XI.

NOn, *Kuhlmanne*, tuas mens eſt exponere laudes,
Ingenii rari judiciique probi.
Exponunt illi, quos vexit ad æthera Virtus,
Principibus ſatis eſt his placuiſſe Viris.
Quos etenim inſignes peperit tibi Muſa Patronos,
Ingenii laudes ſat celebrare ſolent.
Quod tibi multarum laudata Scientia rerum,
Nec minus ingenii vena benigna ſiet:
Gloria Virtutis Comes eſt ut corporis umbra:
Hæc autem quanto parta labore venit?
Hoc, *Kuhlmanne*, diu certó meditatus es, artes
Ingenuas tantà ſedulitate colens.
Dum fallunt alii laſcivo tempora luxu,
Aut ſua dum nimio membra ſopore levant,
Te juvat inſomnes hiberno ſidere noctes
Et ſtudiis totos continuare dies.
Te non Sirenes ullæ Circæaque monſtra
In ſua per vetitum retia blanda trahunt:
Sic certare juvat, te Teuthi vindice lingua
Pulchrius incipiet flore nitere ſuo.
Nunc quoque cum plauſu doctorum *Fritſchius* ingens
Imponit laurum, ſvavis Amice, Tibi,
Ex animo *Kuhlmanne*, novos hos grator honores
Prætereaque Tibi proſpera quæque precor.
Aſpirent porro ſtudiis pia Numine claris,
Sic Tu non multo tempore major eris.

Sic DN. *Qu. Kuhlmanno* prolixiori affectu quam calamo gratulari voluit debuit
Sebaſtianus Seyfrid SS. Th. St.

XII.

OB *Decus Aſſertum Kuhlmanno Diva Poeſis*
Lauru civili tempora ſacra tegit,
Magna hæc Majori præmittens munera prædæ.
Miraris, Juveni præmia tanta dari?
Scilicet ut cunctos in eum transfundat honores,
Tempora ne deſint, incipit hoc citius.

PLUS ULTRA! Joh. Burg.

LAURUS TEUTONICA Verbatim tranſlata.

XIII.

ITa agis recte, Tu nobilis *Sileſia*!
Quod apud Te neutiquam permittas interire
Pulcrum agere, quod primò incepit
Robri Cygnus. Fluit adhuc perpetuò
Pimpleidum fluvius de tuo Helicone,
Et Clio generat in Te tàm numeroſos Filios.
Quanquam unus ſe deponat in terram,
Lyra non moritur: alter iſtam reſcuſſitat.
Nunc dat Tibi etiam *tuus Kuhlmannus* novum decus;
Qui fructum ſimul & florem protrudit,
Matureſcens ante tempus, non expectans annorum.
Sic conſecrat tunc etiam merito tuis capillis
Muſarum-coronam *Nobilis Abaſuerus*,
Qui ipſe habet aliiſque dat honorem.
Sic procedit rectè! Sic porrò procedat!
Multas corollas adhuc faciat Te celum videre.

Officioſæ recordationis causâ ſcribebat
Norinbergæ die 15 Maji 16 2.

Sigiſmundus von Birken
Comes Palatinus.

XIV.

SIcuti, cum Monticola nunc in profundis cuniculis ſodit
Non minùs ſe dives ſpathum, quàm ſterile talcum o-
Sic, poſtquam Tu ad libros Te applicaſti, (ſtendit:
460. Se varia oſtendêrunt. Ars, de quâ vivitur
Erat in duro Silice Philoſophiæ abſtruſa,
Et ſub ſelium-auro jacebat inſaniens Prudentia occulta:
Tamen habebas, *mi æſtimande*, nullas pro utriſque curas.
Scripta, quæ Tibi magnam laudem excitâruht,
465. Sunt teſtes, quod ſæpenumerò utile æs uſſeris,
Et caſſum curioſitatis-quartzum intactum reliqueris.
Propterea debes nunc divinam Virgulam prehendere,
Aliiſque præſcendere. Qui nimirum ſingula cognoſcit,
Aurum à Marchaſitâ, plumbagines à plumbo,
470. A Cobalto Argenti mineram mox diſcernens,
Meretur altius Officium, Præfecturam metallicam.
Hoc eſt, (ut, quid verſus intendat,
Sine Imagine retegam) Tu debes per tua Carmina,
Tanquam Laureatus, nunc Poetis vias monſtrare,
475. Et, ſi *Apollo* debeat etiam ipſorum labores celebrare
Ad ſapientiam excitare. Nimirum, qui bonam famam
Apud Prudentes hæreditare cogitat, ſcribat prudens O-
Habe nunc *multas Centurias ſequentium*, (pus
Porroque ut hactenus, delecta donis,
480. Quæ Deus tibi conceſſit! Attamen, quia Muſarum
In quo *Jus humanum* in opulentis venis jacet, (Mons,
Juxta tuum Votum non cum ſodinis juſtè eſt proviſus,
Stat hic meum fidele Votum, ut mox, hoc facto,
Fodinarum Præfecturam felicitèr accipias.

Hiſce volebat ſuum animum ſaventem
exhilarans indicare

M. Georgius Wende,

laudatiſſimæ frugiferæ Societatis
PLANTANS.

XV.

XV.

Sonnetum:

485. Quicquid eſt de Urticæ genio, incipit maturè ure.
Aquila non ſequitur Paſſeris vilem naturam, (re
Tentat potiùs viribus cunctis ſummum aſſcenſum,
Quo Soli proximè poſſit appropinquare:
Hoc doces Tu, mi Amicè! Mox erat agnoſcendum,
490. Quàm alte aſcenſurus eſſes, quanquam anni tenerrimi,
Tùm tàm varium monumentum hic à Te monſtrabatur,
Quod laudatum Opus boni Spiritûs appellandum.
Nunc, poſtquam tuam rectam metam attigiſti,
Et eruditam altitudinem Pindi ſuperſcendiſti,
495. Oportet tua celebris Induſtria etiam in lauru vincere,
Quam Tibi Apollinis manus circa tempora frontemque flectit.
Bene! Perge porrò, intonans artificioſum metrum,
SIC TE SILESIA, UT ROMA MARONEM, COLET.
Hiſce ſuo honorato Amico, Dom. Quirino Kuhlmanno, ad adeptos novos honores feſtinabundus gratulabatur Breſlaviæ

Wilhelmus Cronpuſch:

XVI.

Panegyris,

ſupra acceptam Kuhlmannianam Laurum,

Opitiana Parodia adumbrata.

Ita, Ita! Audio benè, Diva Poeſis, tuas chordas!
500. Video, Video Te cæleſtes laurus flectere
Circa *mei Kuhlmanni* caput; Tua pompa ſplendeſcit
Ante hoc oculorum par; me rapit tuum decus

Ad auream Solis ſedem. Procul hinc, inhonorati homines,
Procul hinc obſcurum Terræ Vulgus; mihi oſtendit Verſificatoria hodie
Inſtanti hoc ſuum Templi ædificium, ut reſonare
Te, *æſtimande Amice* tam longinquo ſpatio, (poſſim quod Nox dieſque
In ſuo circulo gerit. Tuum primum Juventutis inceptum
Indicat quidem aliquid altius, quam nunc hic ad legendum
Meus calamus propoſuit; tamen ſcio, quid amas,
Quam amice faventerque Tu alias tuum vultum das
Iſti, qui Tibi perpetuò devinctus. Etiam hic ignoſces,
Cum publicè tanquam Heraldus nequeam exclamare,
Quod tamen Veritatem ſapit. Nam longe-major Induſtria
Occæcat meum viſum, quæ tua pulcherrima brabea
Griſeæ Poſteritati donat inque Famæ curru
Ægyptiacam-noctem obſcuritatis depellit
Per quotidianos ſplendores. Hic ad unam manum
Fluctuat nominis lux mihi meos ſenſus,
In quâ nunc verſaris. Ad alteram docet me Virtus,
O Sileſiæ Decus ac Colophon gratioſæ Juventutis,
Quanquam irradiaſſet Te, minimè gloriæ lauriger ſplendor,
Tamen ſatis apud Orbem loco glorioſæ famæ eſſet
Alte-conſtellatus Spiritus, qui tua mirabilia dona,
Quibus cælorum favor præ aliis Te evexit,
In Scriptis reddit notiſſima. Hic erro et neSemitam juſtam tenere! Te nobis ad diem (queo
Mea Patria tulit, quæ loco Voluptatum,
Cum altâ Sapientiâ ſolet animos imbuere,
(Quâ tota Græcia tam famoſa reddebatur,
Ut et Italiæ parvus Mundus,) plenos virtuoſos iſtos reddens,
Per quam Eorum fama Europam pervolat,
Quia jam Artes docet, mox à tenerrimis cunis,
Primiſque annis; quæ altam Poeſin amat,

Quæ

Quæ raræ prudentiæ etiam materna ubera præbet,
535. Ad quam intra breve tempus incipiebat adventare
Quicquid summè-intelligens appellatur, ex gratiâ isti-
us Herois,
Quem *Bolesławia* generavit, qui Rex debebat esse
Vatum à Naturâ, nisi famæ splendor
Illum sic constituisset. Tendebat suum ingens cor,
540. Quousq; aureum incendium lucidæ nubium facis
Cum suis radiis fulgurat. Quomodo erat intra se
Tota Germania summè-contenta, cum, *O Opiti*, Te
Primùm aspexit? Potuisti mox depellere
Superbam Populorum Jactantiam, quia à Te erat hæ-
reditaria
545. Teutonica Poesis, quæ nobis indicat quotidie
Quid ipsius mirabilis Virtus in principio mox fecit,
Et adhuc facere potens est. Nunc oportet præ nostrâ
Galliæ amænitas, quæ cum Sapientiæ vinculo (regione
Versificatoriæ se conjunxit; magnificentia, quæ nitet
550. In *Italicâ* Poesi, omniumque amorem excitat,
Pudefacta comparere. Potuisti nobis adjungere,
Quod *Hispania* evehit. Teuto non respiciet
Ampliùs peregrinam torturam tyrannidemq; Lingua-
Hoc omne præbebat, *Kuhlmanne* tibi Mater Natura (rum
555. Divite abundantiâ, hisce prudentibus tempori-
Nihil penitus dubito, quin ab omnibus partibus (bus
Superbus Silesiæ Campus floribus superseminatus
Steterit, Zephyrus amabilitèr flaverit,
Sapiens Poesis Lætam odam cantaverit,
560. Quâ Oderæ fluvius per fundum littusq; resonavit,
Cum *Tu, meus ALTER Ego*, salutasti hunc Mundum,
Qui Te olim colet, ut istud clare apparet.
Prudentem Spiritum statim lacte suxisti,
Ad Sapientiam mox ab Infantiâ educatus fuisti;
565. Ipsa venit ad cunas, et dividebat tecum suam
Virtutem
Cum centum donis, brabeum Scientiæ,
Doctorum prudentem diligentiam. Nequis otiosus
stare,
Soles, ut cœlorum scaturigo, inquiete circumrotare:

Tu

Tuum meditari comparat se cum celeri stagno,
Quod omne, quicquid attigit, trahit post se.
Nunquam sentitur procraſtinatio apud cœlestes cogitationes,
Sicuti, *Colendiſſime*, tuæ sunt; tendunt ex limitibus
Indesinenter ad suam originem, et æstimant pro lusu
Laborem, cui alter homo succumbit aliàs sæpè multoq;
Quis solet Sapientiæ Polum simul permeare,
Et potest tædiosam Operam eo modo coercere,
Ut nude librorum recreatio in suo animo maneat?
Nam sicuti nova sylva teneros ramos pellit
Ducitque in aërem, antequam isti fructus ferunt:
Ita solet Juventus etiam sibi ipsi nihil denegare,
Sequitur proprium placitum, indicat per suam vitam,
Quod, quicquid ipsi saltim placeat, sit omne benè actum.
Non sic feciſti! Imposuisti repagula
Perpetuò animo, mutuò quasi accepisti alas
A Totâ Antiquitate, cum Tu, *mi Kuhlmanne*, Tibi,
Quicquid nostra *Bibliotheca*, Bratesileæ Decus,
Magdalenea Pompa, habebat, optasti maritare;
Hoc quibat tuum animum tuosque Spiritus movere,
Hic fovebas tuas delicias absque omni indeliciarum nocte!
Hic inveniſti, quod notum Te apud Eruditos reddit.
Præposuisti hoc omnibus; eras unice huic negotio dedi-
Aspiciebant Te ibi in tali Voluptate vivere, (tus,
Quæ nostrum Spiritum astris inserit, et auget pretiosum tempus,
Brevi: Dabas nobis Imaginem Industriositatis.
Terrestris Paradisus, pulchrum Sapientiæ Agere,
Attrahebat tuum favorem, ad Rosas decerpendas,
Per quarum cinnamominum oleum Animis solum
Amor instillatur, ut omnis defatigatio
In recreationem transmutetur. Ex hoc claro fonte
Fluit etiam gloriæ-scaturigo abundantissimè,
Dividit se in canales, quando cum crystallino fluxu
Posteritas irrigatur, et fert eò plus lucrum,
Quo plus ista tale fert. Te, *Amice*, invasit

Ar-

Arrogantia ad istud cum perpetuâ gloriâ penetrare,
605. Quod nos cælestes reddere potest; Tibi est Lingua aperta,
Quam Teutonia magnifacit, et tuum eruditum os
Admirabilissime profert. Soles perspicere
Magnum Mundi Cursum; quicquid unquam est factum,
Hoc enumeras annuatim in omnibus digitis,
610. Et tua Scientia est latior quam Mare.
Quid potest pulchrius quæso in prudentibus scriptis legi,
Quam, quomodo Sapientia perpetuo summo flore fuerit,
Quomodo tàm varium emeritum Caput Laureatum opulenterque coronatum
Posteritati se ostenderit; quomodo igneus animus inthronatur
615. Per æternè-novum splendorem, quomodo hic mox sederit
In superbe-florente altitudine, qui vanam pompam rejecit;
Ad Solem ascendens; quomodo iste exaltatus sit,
Qui ex Virtutis amore Vitiorum Monarchiam
De se totalitèr deflexerit? Hìc Intellectus gubernavit,
620. Hìc Tibi, *O Homere*, Poësis adduxit
Græcorum æternum favorem, ut maneret, sicuti fuerit.
Videmus *Maro*, Te in honorum liliis florere,
Quæ tuus *Augustus* donat, Lyra vult isthic glorificari,
Cum istam Mecenatis favor gloriosè circumplexus fuit!
625. Hìc monstrat *Sannazarius* Opulentum remunerationis-campum,
Cui ejus Poësin *Venetiæ* implantàrunt.
Imo novi sunt aspiciendi, de quibus nihil audivit
Majorum Mundus. Qui talia percipit,
Iste speculatur se in illo, quod istorum Industria fecit,
630. Calcando alacriùs magnam laudis semitam.
Cum tuus animus cupide hæc perlustrat
Ubi præcipue laus Naturâ coronatorum Poetarum calet
Quos non una Mantua educavit aluitque
Mundi-Atlantum gratiam ad istos convertens,
635. Versusque Stellarum campos æstimatam eorum laudem extendens;

Sic

Sic etiam Tibi ex hoc publica portus aperitur,
Ad inveniendum, *ut facis*, per hanc obscuram noctem
Temporum, Viam, quæ nos æternos reddit.
Quapropter ascendis merito ad aurea gloriæ cacumina,
Qui in Juventutis calore de gloriâ intenti;
In quibus etiam, ipsorum honor cum perpetuo honore floret,
Usque Sol Lunaque interierint Habes quidem non opus,
Ut hodie maxima pars, lauru Poetarum,
Ut Vates sis; Es Poësis Filius,
Hoc dat Tibi Natura et non humanum præmium.
Tamen recepisti exultabundus testimonium talium rerum,
Quæ Te non doctiorem, tamen longe honoratiorem reddunt;
Cum Tibi Ingens *Fritschius* proprio motu donavit
Viridem laurum, circaque tuum Caput flexit,
Quod Ipse *Cæsar* fert, et Poetas saltim exhilarat.
Sic *Glogovienſis Gryphs* eodem modo non detrectavit
A *Schænbornero* lauru acceptâ, in laureto ludere cantum,
Cujus dulci tono tota Silesia resonabat,
Auraque Vallisque cum ipsâ: quamvis suus stellis-insertus-animus,
Nutrix ingentis actionis, in flammeo sanguine
Excitabat cupiditatem, quia ipsi nihil erat denegatum,
In tali mirabili Arte, quod istis saltim placet,
Qui Miracula sunt et in Mundum-nati,
Ut istud, quod occultum est, unicè erigant
Naturæ ad defensionem. Quomodo bene fecisti,
Cum ab infantiâ mox frequentasti hanc viam,
Nostri *Gryphii* famam pro Speculo proponens:
Quapropter etiam impræsentiarum ad tales vires venisti.
Nec Nobilis *Lipsius*, strenuus Sapientiæ-Heros,
Profundusque *Scaliger* in Parisiorum-Mundo
Majori-industriâ usi sunt (quam Tu) cum mox emerserunt
In maturo annorum Vere, seque in Invidiam vindicarunt
Ut in ipsorum Vitam adhuc singulorum oculus dirigatur,

Occæcatus, imò attonitus, quia eos Intelligentia armavit,
Quæ divina erat, qui tamen nunquam deſtiterunt,
Quod multam ſedulitatem ſapit, multâ ſedulitate tracta-(re.
Sic faciebat *Muretus* etiam; ſtudens die noctèq;
Iſtud, quod honorum dives, ejuſque meditatio erat
Nobilem Poeſin cum Scientiis cunctis conjungere.
Sic volebat *Heinſius* Brenni Lumen ſequi,
Vt et Magnus *Grotius*; quem hic terrarum Orbis
Adhuc ſummè miratur, cum ipſi gloriæ palmam,
Natura, tuum Jus donavit. Sic volebas omni tempore
Tu, quoad poſſibile, quod ſedulum præparare.
Amabaſque nullum Otium, quod totalitèr diſplicebat,
Quod alii æſtimant difficile, hoc eſt tuus Jocus luſuſq;
Flores dant maxime Te, *O Flos*, agnoſcendum,
Quos plantaſti. Tuus *Heraldus* inſinuat
Quod apud patriam urbem Te olim exaltabit,
Et tuam recordationem reddet in Solis-circulo ſtare.
Feliciter! Deus augeat Tibi tuam bene-actam Vitam,
Conſervet tuum animum, quem Tibi dedit,
Vt longe *Induſtriæ Speculum* ſis,
Euſterwonicæ Linguæ Propugnaculum, *Invidorum acerba Pœna*,
Breſlaviæ Ornamentum Decuſque, Sapientiæque palmas ponas
Quæ nunquam intereunt tuumque animum delectant
Spem dantes, ut fructus nobilis Sileſia
Demetat, quos antèa ſeminavit ejus Intellectus.
Verum ut hactenus, in me amicitiæ flumina effunde;
Revifica perpetuo cum favore meum totum cor cogitareque,
Sic etiam Tibi paratus in Redamore ſiabit,
Vſque olim ultimum Vale ex labiis ſi bi prodibit,

Tuus fideliſſimus

Godofredus Lehmannus
Uratiſlavienſis.

XVII.

Ad Nobilem coronatum celeberrimumque Poetam, Dom. Quirinum Kuhlmannum.

O Fili Æternitatis! Cujus summis donis affecta dona
700. Vix hoc totum Totum exponet
Propter cujus nobiles actiones expallet Invidia Tem-
Morte attonitâ. O Fili Æternitatis! (pusque
Hæc nunc Tibi ipsa corollam flexit
Circa tuum eruditum Capillum, seque tecum univit.
705. Advolate optateque ipsi felicitatem, Vos, qui istud amatis,
Quod erudita manus Vobis frui dat.
Et Tu, O *Silesia*! *Quicquid Opitius fuit,*
Quicquid Gryphii Ingens Spiritus Tibi dabat cum gloriâ legere,
Hoc inventis in Ipso, si perspexeris,
710. Qualia in lucem scripta ediderit.
Favemus merito Tibi gloriam, Te decentem,
Coronam, quam nullum tonitru Cœli attingit;
Tu verò maneas mihi interea affectatus
Respiceque animum, et non lineolas

Christiani Friderici
Cunowii
ex March. Brandenburg.

XVIII.

In Epitaphiorum Kuhlmannianorum quindecennalium Editionem Jenensem.

715 Quisquis in mortalitate immortalis vivere vult
Isti esto emortualis dies sua unice-grata meta:
Quia Tu ergo, *æstimande Amice*, etiam priusquam moreris, vis mori,
Sic hic et isthic *immortalem laudem* recuperabis.

Hæc volante calamo properabat Bresiæ
die 10 *Dec.* 1670.

Johannes Christianus Hallmannus.